Amico in primis caro
Adolpho [illegible]
philos. Dr. D.D.D.
auctor.

DE GRAECORUM DAEMONIBUS

PARTICULA PRIOR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE IMPETRANDOS
DIE VIII. M. APRILIS A. MDCCCLVII.
H. L. Q. S.
IN PUBLICO DEFENDET
AUCTOR

JOSEPHUS NEUHAEUSER
GUESTFALUS.

CONTRADICENT:

AD. LIB. BAR. DE LA VALETTE ST GEORGE, PHILOS. Dr.
IGNATIUS SCHWERDT, PHILOS. Dr.
F. SCHULTZ, PHILOS. Dr.

BEROLINI
TYPIS ERNESTI KUEHN.

VIRO EXIMIO AC PRAECLARO

PRAECEPTORI IN PRIMIS DILECTO

ADOLPHO TRENDELENBURG

THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI, PHILOSOPHIAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, ACADEMIAE SCIENTIARUM REGIAE BORUSSICAE SECRETARIO, ORDINIS AQUILAE RUBRAE IN CL. III. C. L. EQUITI

VENERABUNDUS ET GRATUS

D. D. D.

AUCTOR.

DE
GRAECORUM DAEMONIBUS.

I.

Deorum ordinem apud ipsos veteres, qui de rebus divinis scripserunt, inde a Thalete exceperunt *δαίμονες*. Is enim primus deum, daemones, heroes distinxisse et in tribus ordinibus constituisse traditur. [1]) Post eum omnes fere philosophi, Pythagorei, Empedocles, Plato veteresque Academici, Stoici, omnium autem maxime recentioris scholae Platonicae sectatores multum de daemonum natura et ortu

---

1) Athenagoras, Legat. pro Christ. p. 8. „*Πρῶτος Θαλῆς διαιρεῖ, ὥς οἱ τὰ ἐκείνου διαιροῦντες ὐκριβοῦντες μνημονεύουσιν, εἰς θεὸν, εἰς δαίμονας, εἰς ἥρωας· ἀλλα θεὸν μὲν τὸν νοῦν τοῦ κόσμου εἰσάγει, δαὶμονας δὲ οὐσίας ψυχικάς, καὶ ἡρωας τὰς κεχωριομένας ψυχὰς τῶν ἀνθώπων, ἀγαθοὺς μὲν τὰς ἀγαθάς, κακοὺς δὲ τὰς φαύλας.*“ De Thaletis daemonibus cf. Plut. Placit. philos. I., 8; Diog. Laert. I, 27; Arist. An. I, 2 et 5. Quae ab Athenagora ad Thaletem refertur prima trium horum ordinum distinctio, ad elegantiorem distinguendi et explicandi subtilitatem, qualis a philosophis desideratur, pertinere solum potest; quum apud Hesiodum iam daemones a diis, a daemonibus heroes omnino diversos esse et tam tempore quam dignitate ac potestate se deinceps excipere sciamus. Vid. Hesiod. Op. 109—173. Quare Plutarchus non a Thalete, sed ab Hesiodo illius distinctionis principium repetit. Plut. Def. orac. c. 10; voll. IX, p. 314 ed. Hutten.

et muneribus et ordinibus quaesiverunt et dixerunt et ad suam quisque rationem adaptarunt. In qua re quamquam fieri non potuit, quin diversas saepe sententias sequerentur, in eo tamen omnes consenserunt, ut definirent eos naturas quasdam divinas et intelligentes, quae diis inferiores, superiores hominibus essent, atque inter utrosque mediae quasi interiectae. Sed ita re constituta plurimum recesserunt ab antiquorum scriptorum ratione atque usu, apud quos *δαίμονος* vis multo latius patet tamque diversas amplecti videtur sententias, ut primo aspectu nescias, num dii ipsi significentur an natura quaedam divina ab iis diversa, haecque num diis inferior an superior potius iudicanda sit. Atque eadem incertitudine, quae nos saepe premit Graecorum scripta legentes, Graeci etiam ipsi tenebantur, siquidem sub belli Peloponnesiaci finem dubitabant, *δαίμονες* num essent ipsi dii an spurii quidam deorum liberi, vel e Nymphis vel ex aliis quibusvis suscepti.[1]) Quare mirum non est, recentiores etiam interpretes in explicanda hac voce saepe nutare et distinctione non satis certa tum fatum, tum deum, tum genium interpretari.

Quae interpretationes quamquam veritate non carent, tamen non eam movent cogitationem ac sensum, qui verbo Graeco in audientium vel legentium animis excitari eosque horrore quodam divino percellere videtur, neque conspicuam faciunt summam illam sententiam, quae singulas notiones continet in iisque tamquam genus in partibus vivit ac viget; per quam solam fieri potuit, ut eadem vox apud eundem scriptorem ad diversas res significandas adhiberi posset. Namque in vocibus explicandis eadem observanda lex est,

---

1) „— *εἰ μὲν θεοί τινές εἰσιν οἱ δαίμονες — εἰ δ' αὖ θεῶν παῖδές εἰσι νόθοι τινὲς ἢ ἐκ νυμφῶν ἢ ἔκ τινων ἄλλων, ὧν δὴ καὶ λέγονται.*“ Plat. Apolog. p. 27 D.

quam ad rerum cognitionem adhiberi in Philebo[1]) iubet Plato, ut non solum singulae vocis alicuius significationes, sed notio etiam summa cognoscatur, ex qua illae, ut ex toto partes, effloruerint.

Quare ut universam *δαίμονος* significationem assequeremur, eiusque quasi mutationes ac progressiones cerneremus, altius repetendum indeque ab antiquissimo Graecorum scriptore, Homero, usque ad recentiorum scholas Platonicorum vocis usum indagandum esse putavimus; commoti maxime ad hanc quaestionem instituendam eo, quod eius diiudicationem ad universum Graecae religionis ingenium et voluntatem perspiciendam maximi momenti esse e multis rebus intellexisse nobis visi sumus. Atque primum quidem de ipsius vocis origine et notione dicendum videtur.

II.

Quae in ipso *δαίμονος* nomine inesset significatio, iam ipsi veteres dissenserunt. Plato enim primus[2]), quod sciam, *δαίμονας* interpretatus *δαήμονας καὶ φρονίμους*, a verbo *δαῆναι*, h. e. docere et discere, vocis originem duxit.[3]) Quae quamquam a philosopho summo magis ad irridendam eorum temeritatem, qui omnem operam in enodandis nominibus perderent quam ad rei aperiendam veritatem dicta videntur, multi tamen e veteribus eum secuti sunt[4]), commoti fortasse etiam eo,

---

1) Plat. Phileb. 10, D.

2) Haud scio an Sophocles ad hanc significationem alluderit, Electr. 658, ubi de Apolline ait: „*ἐπαξιῶ σε δαίμον᾽ ὄντ᾽ ἐπειδέναι.*“

3) Plat. Cratyl. p. 398 B.

4) Schol. Il. I., 222: „*οὕτως δαίμονας καλεῖ θεοὺς ἤτοι ὅτι δαήμονες ἢ ὅτι διαιτηταί εἰσιν.*“ cet. Hesych. s. v. *δαίμων· δαήμων.* Et. M. s. v. *δαίμων· αὐτοδίδακτος.* Hierocles ad aureum carmen p. 38. ed, Needham, p. 42, 12. ed. Mullach: „*Τὰς ἀθρωπίνας ψυχὰς — δαίμονας καλεῖ ὡς δαήμονας καὶ ἐπιστήμονας.*“

quod apud scriptores praeclaros et antiquos, ut Hesiodum et Archilochum[1]), re vera *δαίμονας* cum *δαημόνων* significatione dictos inveniebant. Sed tamen *δαίμονα*, ubi naturam quandam divinam significat, ne ab illa origine descendere credamus, constans nominis vis ac notio prohibet. Neque enim rerum scientia ac cognitione, verum distributione ac constitutione omnem daemonis naturam contineri videbimus. Atque haec significatio ita, opinor, in veterum Graecorum mentibus vigebat, ut non laboriosa quadam cogitatione, sed ipso animi sensu *δαίμονος* notionem a *δαίειν*, h. e. partiri ac distribuere, repeterent. Quare quum Alcman pulchra verborum collocatione, ut *πάλους* cum *πᾶλαι*, ita *δαίμονας* cum *δάσασθαι* componeret, omnes certe verbo *δάσασθαι* veram *δαιμόνων* et notionem et munus repeti sentiebant. Id quod veteres interpretes ostendunt, quum, ut propriam *δαίμονος* notionem *partitione et distributione* (*ἐν μερισμῷ καὶ διαιρέσει*) contineri probarent, hac potissimum Alcmanis dictione usi sint[2]). Unde magis etiam intelligas, Platonem ad augendam irrisionis vim studiose eam exquisivisse interpretationem, quae, quum propter speciosam quandam novitatem sophistae vanitati acceptissima esset, apud peritos optime ludendi consilium proderet. Quodsi

---

1) Archilochus apud Plut. vit. Thes. 5 (Archilochi fragm. 3. apud Bergk: Poetae Lyr. Gr.) de Abantibus ait:

„*Ταύτης γὰρ κεῖνοι δαιμονές εἰσι μαχῆς.*“

Apud Hesiodum autem Op. 314. *δαίμονι* eandam esse significationem, Goettlingio plane assentior.

2) Alcmanis locus legitur apud scholiastam ad Il. I.. 222, ubi usu Homeri, qui *δαίμονας* pro diis dixerat, monitus, quum hanc vocem continere sentiret notionem, quae in *θεῶν* nomine deesset, veram eius vim accuratius indicandam esse ratus, „*οὕτως*,“ inquit, „*δαίμονας καλεῖ θεοὺς ἤτοι ὅτι δαήμονες — ἢ ὅτι διαιτηταί εἰσι καὶ διοικηταὶ τῶν ἀνθρώπων, ὡς Ἀλκμὰν ὁ λυρικός φησι·*

„„„*Ὅς Fέθεν πάλοις ἔπαλε δαίμονας τ' ἐδάσσατο·*“““

τοὺς μερισμοὺς καὶ διαιρέσεις αὐτῶν.“ Cf. Cram Anecdot. T. IV. p. 409, 16. Alcman fragm. ap. Bergk l. l. p. 552.

autem verum est, quod Proclus in commentario ad laudatum Platonis locum affert, in prisca Graecorum lingua **δάμονας**, non **δαίμονας** dictos esse[1]), ad primam veramque nominis stirpem ascendisse nobis videmur. Iam enim apparet radix da[2]) (dare), ex qua non solum **διδόναι** sed, quum dandi notio distributionem tamquam speciem infra se habeat, **δαίειν** etiam originem ducit, secundum communem linguarum legem, ex qua generalior verbi notio in definitiores ac certiores abire et quasi dividi solet. Itaque **δάμων** inde a primo initio *datorem ac distributorem* rerum significabat, et hanc significationem etiam tum, quum nominis forma facta esset **δαίμων**, servabat, quamvis propter verbi **δαίειν** similitudinem magis distribuendi vi animos pelleret[3]).

III.

Atque haec quidem sunt, quae ad explicandam **δαίμονος** notionem ex ipsa nominis forma efficiuntur. Insignis autem illa vis ac gravitas, quae in eo inerat et religione ac vere-

---

1) Proclus ad Plat. Cratyl. p. 82 ed Boisson: *ὅτι [τὸ] ἐν τῇ ἀρχαίᾳ φωνῇ τοὺς δαίμονας δάμονας λέγεσθαι δηλοῖ, ὅτι τὸ α ἀντὶ τῆς αι ἐχρῶντο.*"

2) In lingua Sanscrita duae occurrunt radices दा (*dâ*), quarum altera dare, altera desecare significat; ad quarum priorem et *διδόναι* et *δαίειν*, non obstante Boppio, referendum esse arbritor.

3) Vox *δάμων* composita est e radice *δα* et suffixo *μων*, cuius usus in Graeca lingua non rarus est, ad formandaque et nomina substantiva agentia et adiectiva adhibetur. Cf. *ἡγεμών*, *ἐπιστήμων*, alia. Nititur autem suffixo Sanscrito मन् (*man*), de quo cf. Bopp. Gramm. Scr. §. 538, 54. Quod autem *δα* in *δαι* mutatum sit, ita videtur explicandum esse, ut in *α* longo, quod aequat *α* et *α*, alterum *α* debilitatum sit in *ι*. Eodem modo explicari potest *θναίσκω* pro *θνάσκω*; cf. Mathiae Gr. Gr. §. 10. 11; coll. 12; et *βαίνω* pro *βάνω*, *φαίνω* pro *φάνω*, collatis radicibus Sanscritis गा (*gâ*) et भा (*b'â*).

cundia implebat animos, ei tribuebatur illius cogitatione naturae, ad cuius significandam potestatem et vim usu constantissimo adhibebatur. Hic vero usus inde ab Homero repetitus et ad novissimorum philosophorum doctrinam deductus ostendit, **δαίμονα** esse summum constituendarum moderandarumque rerum principium, cuius designatione et rerum et hominum natura, conditiones, fata contineantur. Itaque summa **δαίμονος** notio, quae singulas quasque ejus significationes comprehendit in iisque tamquam in partibus suis conspicua est, in eo versatur, ut significet *vim divinam atque incomprehensam, supremo suo atque inevitabili consilio et potestate distribuentem cuncta ac constituentem.*

Erat autem haec vox primo initio ipsius summi numinis appellatio, cuius eam naturam, quam potissimum veteres Graeci agnoscebant et summa religione ac metu adorabant, optime exprimeret. Quum enim omnes res in divini numinis potestate ac possessione esse sentirent, ideoque, quod quisque esset et quod haberet, ab illius assignatione, donatione, distributione proficisci intelligerent, ita ut, quam quisque nactus esset naturam atque ingenium, sive id bonum sive pravum esset,[1]) omnesque animi et corporis facultates,[2]) universam-

---

1) De hac sententia, qua in tota antiquitate nulla fere potest esse gravior, quia omnes animi motus potestati divinae subiicit et idcirco virtutis ac vitii notionem omnino tollit, vide celebrem Homeri locum, Od. XVIII, 136:

„Τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων,
Οἷον ἐπ᾽ ἦμαρ ἄγῃσι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.“

Quem locum imitatus est Archilochus his versibus:

„Τοῖος ἀνθρώποισι θυμός, Γλαῦκε, Λεπτίνεω πάϊ,
Γίνεται θνητοῖς, ὁκοίην Ζεὺς ἐπ᾽ ἡμέρην ἄγῃ.“

quos servavit Diog. Laert. IX., 71; Stob. Ecl. phys. I., p. 38 ed. Heeren, alii. Vide Archilochi fragm. 65 apud Bergk. l. l. Similem sententiam expressit Euripides, Supplic. 734:

„Ὦ Ζεῦ, τί δῆτα τοὺς ταλαιπώρους βροτοὺς
φρονεῖν λέγουσι; Σοῦ γὰρ ἐξηρτήμεθα,
δρῶμέν τε τοιαῦθ᾽ ἃν σὺ τυγχάνῃς λέγων.“

que vitae conditionem ac sortem, prosperitates miserias, gaudia luctus, victorias clades, divitias egestates,[1]) divino munere sibi accidisse arbitrarentur; quid tandem inveniri poterat ad praepotentem hanc et infinitam vim divinam significandam aptius quam *δαίμονος* appellatio, quippe quae propter notionem insitam universam illam vim quasi adumbraret eiusque cogitationem et paene sensum in animis excitaret?

Donandi igitur maxime ac distribuendi summam potestatem cum summi numinis notione comprehendebant; quae res eo etiam probatur, quod usu frequentissimo, quaecunque constituta et effecta putabant vi ac voluntate divina, ea *θεῶν δῶρα* appellabant; quae quum, quidquid alicui et boni et mali evenire posset, continerent, ipsam *fati* vim ac rationem constituebant.[2]) Neque enim haec deorum dona aut suscipere aut refutare in hominum erat potestate,[3]) sed insu-

---

cf. Diog. Laert. IX. 71. Diversa ratione posteriores hac sententia usi sunt: Pyrrhonii adhibebant eam ad demonstrandum, nullam esse posse vitae informandae artem; Sext. Emp. Pyrrhon. Hypotyp. III, 244; Diog. Laert. l. l.; Chaldaei ad probandas affectiones siderum; Sext. Emp. adv. Math. V, 4; alii aliter usi sunt. Cf. Sext. Emp. VII, 128, ubi ad Heracliti doctrinam de ratione divina per hominum mentes permeanti refertur.

2) Pind. Nem. VII, 6; 54 sq. Pyth. I, 41; saepius alias.

1) *„Οὐδείς, Κύρν᾽, ἄτης καὶ κέρδεος αἴτιος αὐτός,*
Ἀλλὰ θεοὶ τούτων δώτορες ἀμφοτέρων.“

Theogn. 133. Cf. ibid. 171; 231; 271. Pind. Pyth. VIII, 76; 95 sq. II, 49 sq.

2) Il. III, 64 sq. XXIV, 527; od. XVIII, 142. Hom. Hymn. Cer. 147 et 216. Theogn. 144; 1033; 591.

3) Il. III, 64. Paris Hectori, Helenae amorem exprobranti, Veneris donationem praetendens, sic respondit:

„Οὔτοι ἀπόβλητ᾽ ἐστὶ θεῶν ἐρικυδέα δῶρα,
ὅσσα κεν αὐτοὶ δῶσιν, ἕκων δ᾽ οὐκ ἄν τις ἕλοιτο.“

Solon fragm. 12 v. 84 apud Bergk. l. l:

„δῶρα δ᾽ ἄφυκτα θεῶν γίνεται ἀθανάτων.“

Et Theognis, 1033:

„ — θεῶν εἱμαρμένα δῶρα
οὐκ ἂν ῥηϊδίως θνητὸς ἀνὴρ προφύγοι,
οὔτ᾽ ἂν πορφυρέης καταδὺς ἐς πυθμένα λίμνης,
οὔθ᾽ ὅταν αὐτὸν ἔχῃ Τάρταρος ἠερόεις.“

perabili necessitate sive volentibus sive invitis iniungebantur imponebanturque cervicibus tamquam iugum durum,[1]) quod, quum causas, cur id fieret, non intelligerent, in numine autem divino non tam consiliorum sapientiam et bonitatem quam potestatis regiam dominationem agnoscerent, non libera animi voluntate, sed coacti plerumque necessitate solum supportabant.[2]) Iam vero quoniam **δαίμων** is erat, a cuius suprema vi ac voluntate omnia illa dona tribui scirent, quum malorum numerum maiorem esse quam bonorum intelligerent,[3]) neque tamen, aut quid sibi aut quando aut propter quas causas eventurum esset, quidquam comperti haberent,[4]) qua autem ratione, quod cuique destinatum esset, posset evitari omnino ignorarent,[5]) ideoque diei laetitia terreretur nocturnae calamitatis exspectatione,[6]) quo pacto poterat fieri, quin **δαίμονος** et appellatione et cogitatione intimi animi non solum summa religione, sed etiam horrore quodam ac metu perfun-

---

1) „— *ἐπὶ γὰρ ζυγὸς αὐχένι κεῖται.*" Hom. Hymn. Cer. 217. cf. Pind. Nem. VII. 6.

2) Saepius haec sententia apud veteres redit. Ita in Hom. Hymn. Cer. 147:

„*Μαῖα, θεῶν μὲν δῶρα, καὶ ἀχνύμενοί περ, ἀνάγκῃ*
τέτλαμεν ἄνθρωποι· δὴ γὰρ πολὺ φέρτεροί εἰσιν."

Et rursus inferius, 216:

„*Ἀλλὰ θεῶν μὲν δῶρα, καὶ ἀχνύμενοί περ, ἀνάγκῃ*
τέτλαμεν ἄνθρωποι· ἐπὶ γὰρ ζυγὸς αὐχένι κεῖται."

Et Theognis, 444:

„— *ἀθανάτων δὲ δόσεις*
παντοῖαι θνητοῖσιν ἐπέρχεται· ἀλλ' ἐπιτολμᾶν
χρὴ δῶρ' ἀθανάτων, οἷα δίδουσιν ἔχειν."

cf. Hom. Od. XVIII. 142; Il. XX, 264.

3) „*Ἓν παρ' ἐσλὸν πήματα σύνδυο δαίονται βροτοῖς ἀθάνατοι.*" Pind. Pyth. III. 81.

4) Pind. Nem. VI, 6; Ol. XII, 7; Nem. XI, 43; Isth. VII, 14.

5) Theognis 381:

„*Οὐδέ τι κεκριμένον πρὸς δαίμονός ἐστι βροτοῖσιν,*
οὐδ' ὁδὸν ἣν τις ἰὼν ἀθανάτοισιν ἅδοι."

6) Pind. Ol. II, 30, sq.

derentur? Ab illius enim consilio ac voluntate immutabili sibi quisque quovis temporis momento aut vitam ac salutem, aut exitium atque mortem imminere sentiebat.

Atque his iam satis videmur docuisse, **δαίμονος** notionem insitam cum summi numinis ea vi, qua potissimum veterum animi pulsi sint, plane convenire aptissimamque eius esse appellationem. Simul autem ascendimus locum, ex quo omnem huius vocis ditionem uno obtutu prospicere possimus. Primum igitur ***δαίμων** cognomen erat ipsius summi numinis*, cuius supremam omnium rerum designandarum et distribuendarum potestatem exprimebat huiusque potestatis sanctam et inaccessam maiestatem in horrentium animorum conspectu ponebat. Deinde, quum summi numinis vis inter plures deos quasi divisa esset, **δαίμων**, peculiari nominis significatione servata, *universa erat divinitas*, notione infinita et a certae personae cogitatione magis remota, quae tamquam totum aliquod deorum omnium potestates et munera in se coniungeret, cuius universa ac suprema vis et maiestas a singulis diis aperiretur et perficeretur, ita ut, quidquid hi facerent, in eo **δαίμονος** vis ac voluntas cerneretur. Tum vero *singuli etiam dii*, quoniam summi numinis munera in se susceperant, eaque pro sua quisque parte sustinebant, recte **δαιμόνων** nomine appellabantur. Tum *naturae quaedam divinae inferiores*, quae deorum auctoritate ac iussu distribuendarum rerum munera obibant illorumque quasi erant administrae, **δαίμονες** erant; iique, quum et bonorum et malorum datores essent, partim *boni*, partim *mali* credebantur. Atque in hoc primum daemonum genere factum est, ut, quum antea in Graecorum religione nullum fuisset *mali* principium ab ipso numine divino diversum, a quo tam bona quam mala repetebantur, bonorum et malorum principium ad diversas personas referretur, certe non sine magna philosophiae auctoritate et orientalis doctrinae multa accessione. Quum enim dii iam non posse viderentur non boni esse, bonitasque cum ipsa eorum notione compre-

henderetur, quaecunque sive in rerum natura sive in moribus mala erant, ea ad *δαίμονας* auctores referebantur. Unde factum est, ut daemonis notio paulatim in mali genii significationem abiret,[1]) et in divinae religionis nostrae libris *δαιμόνια* appellari possent ipsius mali principii administri et satellites.[2]) Postremo, quia cum *δαίμονος* notione propter eam naturam, cuius cogitationem semper excitabat, mirabile quiddam et incomprehensum coniunctum erat, naturae quaedam a diis hominibusque diversae, quibus vis quaedam secreta atque insolita eaque tum benefica tum malefica inesse putabatur, *δαίμονες* vocabantur.

IV.

His igitur universam *δαίμονος* vim ac notionem eiusque mutationes et quasi progressiones adumbrasse nobis videmur. In qua descriptione ea notio, quam primam posuimus, etsi apud ipsos Graecos scriptores non aperte ac definite indicata est, quia iis temporibus, quorum illi interpretes sunt, numinis divini unitas non natura aliqua seorsim consistenti, sed hominum solum mente ac cogitatione continebatur, tamen necessitate quadam eam iudicamus ceteris notionibus omnibus esse praeponendam, quia hac omissa illae vix iustam habere videntur rationem. Namque quum ipsa nominis forma talis sit, ut nulli rei conveniat nisi naturae ipsi per se consistenti et agenti, quam vim servavit, quum ad singulos significandos deos adhibetur, apud Homerum autem scriptoresque longe

1) In voce *δαίμων* idem factum est, quod in voce Sanscrita देव (*dêva*); quae quum apud Indos deorum esset appellatio, in Zoroastrae doctrina ad malos genios, Arimanii satellites, significandos adhibebatur. Cf. Creuzer Symbol. I, p. 308, ed. 3.

2) Innumera huius usus sunt exempla. Vide prae ceteris Luc. VIII, 33; 35; XIII, 12. Marc. III, 15. al.

plurimos ad universam indicandam vim divinam adhibeatur, non in una aliqua natura cumulatam, sed mentis solum cogitatione comprehensam, iam apparet dissidium inter vocis formam et usum, quod non video qua ratione conciliari possit, nisi statueris, primo initio nullam inter rem et vocem fuisse dissensionem, eamque naturam, quae *δαίμονος* nomine appellaretur, talem fuisse, ut haec appellatio plane ei conveniret. Unde sequitur, ut universam vim divinam, quam una cogitatione conceptam *δαίμονα* a scriptoribus appellatam invenimus, tum, quum primum hac appellatione nominaretur, in una etiam natura congregatam esse creditum sit, ideoque *δαίμων* summi numinis cognomen fuerit.

Atque haec nominis vis ita in mentibus inhaerebat, ut posteriore etiam tempore, quum iam infinitior illa notio percrebuisset, et philosophi et poetae, si significanda esset summa vis divina omnibus diis superior, quae propria sua natura consisteret et sentiret et ageret, *δαίμονος* nomine optime sibi viderentur posse mentem suam aperire. Heraclitus enim naturam illam divinam res omnes amplectentem et permeantem, cuius participatione et inspiratione omnis hominum cognitio atque intelligentia efficeretur,[1]) *δαίμονα* vocavit.[2]) Parmenides autem vim illam divinam mediam inter

---

1) „Τὸ περιέχον ἡμᾶς λογικόν τε καὶ φρενῆρες." Sext. Empir. VII, 127; VIII, 286. De universo hoc Heracliti decreto vid. Sext. Empir. VII, 129 — 134; Schleiermacher in Wolf. et Buttmann. Mus. antiquit. I, p. 474 sq.

2) „Ἀνὴρ νήπιος ἤκουσε πρὸς δαίμονος ὅκωσπερ παῖς πρὸς ἀνδρός." Origen. adv. Cels. p. 698. Schleiermacherus l. l. p. 523. *δαίμονα* intelligit fatum et sic vertit: „Ein thörichter Mann vernimmt nicht mehr vom Schicksal, als ein Kind von einem Manne." Sed sine dubio vir praeclarus erravit. Particula enim *πρὸς* cum genitivo iuncta, quam ille sic intellexisse videtur, quasi pro *περὶ* posita esset, nunquam hanc vim habet, sed notione est cum *παρὰ* cognata significatque locum, unde quid veniat oriaturque. Cf. Math. Gr. §. 590. Loci sententia est haec: Ut puerulus propter ingenii imperitiam nihil intelligit docente viro, ita homines stulti daemonis, h. e. naturae illius intelligentis omnia complexae, dicta ac praecepta, quae in eorum animos quasi se infundunt, non intelligunt et ne animadvertunt quidem Cf. Sext. Emp. VII, 132.

lucem et noctem positam, quam esse vult omnium rerum et ipsorum deorum communem parentem, eodem nomine affecit.[1]) In poetis autem Critias in celebribus illis versibus, quibus omnem numinis divini opinionem unius hominis astutia ad rei publicae ac legum patrocinium inventam esse docet, *δαίμονα* numen illud vocat, quod mente audiat omnia et videat et curet et administret.[2])

Hisce igitur locis viget etiam illa *δαίμονος* vis, quam omnium primam fuisse statuimus, revocaturque quaedam illius memoria temporis, quo haec vox fuerit appellatio unius ac summi numinis, quod omnia infra se haberet et non tamquam universa quaedam natura divina singulis diis communis sola animi cogitatione contineretur, sed suapte vi ac natura viveret et sentiret et suprema sua potestate dirigeret omnia atque efficeret. Quodsi vero haec nominis notio ceteras eius notiones tempore praecessit, easque in se quasi continuit, necessarium etiam est, ante deorum multitudinem inter mortales iam viguisse opinionem unius numinis, quod omnium rerum descriptionem et designationem et modum haberet. Atque ex hac re novum existit argumentum ei sententiae, quae omnis cultus divini originem ab unius dei opinione ducendam esse censet.

V.

Jam vero prima *δαίμονος* notione cognita facile intelligitur, qua ratione altera orta sit. Quum enim in unius nu-

---

1) „*Ἐν δὲ μέσῳ τούτων δαίμων, ἣ πάντα κυβερνᾷ·*
πάντα γ᾽ ἄρα στυγεροῖο τόκου καὶ μίξεος ἀρχὴ
πέμπουσ᾽ —" cet.
Simplic. Phys. p. 9 A et 7 B. Carsten, Philos. vet. Graec. I, part. 2 p. 42 et 118.

2) *Ἐντεῦθεν οὖν τὸ θεῖον εἰσηγήσατο,*
ὡς ἔστι δαίμων ἀφθίτῳ θάλλων βίῳ,
νόῳ τ᾽ ἀκούων καὶ βλέπων φρονῶν τε καὶ
προσέχων τε ταῦτα καὶ φύσιν θείαν ἔχων."
Critias apud Sext. Emp. IX, 54, vers. 16 sq.

minis locum plures dii concessissent, nomen quidem illud unius cuiusdam numinis cogitationem movebat; sed iam non tam *unum deum*, quam *divinitatem unam* significare poterat.[1]) Atque haec significatio inde ab Homero usque ad Platonis tempora longe usitatissima fuit.

Apud Homerum igitur *δαίμων* primum est *universa vis ac voluntas divina*, una notione comprehensa, expressaque in eo est obscura quaedam cogitatio unius ac summi numinis, quod singulorum deorum numina in se quasi coniungat, praecipueque supremam fatorum designationem et effectionem habeat. Namque quum dii omnes suam quisque certam ac definitam personam agerent, cuius comparatione consilia eorum necessitate quadam naturali continerentur, nullus autem eorum universam vim divinam in se cumulatam haberet; neque ad singula quaeque, in quibus potestas divina cernebatur, efficienda, neque ad rerum universum quendam consensum et ordinem constituendum sufficiebant. Quare quamvis plerumque hominum animi singularum rerum causas et eventus ad singulos deos referrent in iisque acquiescerent, tamen interdum ipsis rerum rationibus ad universi cuiusdam numinis cogitationem excitabantur, cuius suprema vis in omnibus, quae sine auctoritate divina non posse viderentur effici, versaretur, et singulorum deorum numina infra se haberet, in iisque tamquam totum aliquod vigeret. Atque haec universa vis divina vocabatur *δαίμων*, quia haec vox magis etiam quam *θεός* unius numinis notionem servaverat et ad universam potestatem divinam exprimendam in primis apta videbatur. Ex his vero etiam patet, quae inter *δαίμονα* et

1) Infinita haec *δαίμονος* notio, qua numen significat genere quidem, non autem persona unum, a plerisque, priore illa omissa, laudatur. Müllerus enim *δαίμονα* explicat „als die nicht personficirte, allen Personificirungen zu Grunde liegende Gottheit." Prolegg. p. 245. Cf. Gerh. Mythol. I, §. 3, 2. Creuzer. Symbol. p722 ed. 3. Nitzsch explic. Hom. Od. I. pag. 89 sq. Preller Mytholog. I, p. 335.

θεοὺς intercedat ratio. Interdum enim δαίμων nihil est nisi notio generalior, universam complectens divinitatem, quae, nulla cum singulis diis comparatione instituta, perficiendis omnibus par sit. Interdum autem aperte ac dilucide ita inducitur, ut omnium deorum coniuncta et in unum collecta potestas eius vim efficiat diique singuli quasi aliquam eius partem ostendant. Atque in hac notione accidit, ut singulis diis anteponatur hebeatque vim illis superiorem. Omnino autem eius natura, ab angustis certae personae terminis exemta, solutior atque infinitior est, hancque ipsam ob causam ex aliqua parte sanctior ac divinior et ad religionem movendam aptior. Infinitatem enim omnes tacito quodam iudicio in numine divino agnoscunt.

Jam vero haec, quae ex Homeri maxime usu petita sunt, exemplis probanda videntur. Primum igitur δαίμονος efficientia ab Homero in omnibus agnoscitur, quae accidunt, sive ea bona sive mala sunt, praesertim si admirabilia videntur et praeter exspectationem existunt et ad certi dei auctoritatem referri non possunt. Itaque δαίμων erat, qui ad Sirenum insulam compescuit tempestatem marisque fluctus commotos subito placavit [1]) et apud inferos, quum ante Tantali sitientis ora recessisset unda, exsiccavit nigram arenam, [2]) et ab Ulysse, ne monstrum sibi e mari immitteret, timebatur. [3]) Hic Ulyssem, navi Iovis fulmine confricta, ad Cyclopis domicilium deduxit, [4]) et postea, ut, quae Ulyssis erat suspicio, plura etiam mala perpeteretur, ad Phaeacum litora appulit; [5]) ab hoc Eumaeus sibi Ulys-

---

1) Od. XII, 169.
2) Od. XI, 587.
3) Ibid. V, 421.
4) Ibid. VII, 248.
5) Ibid. VI, 172. cf. XVI, 194.

sem,[1]) Antinous Telemachum[2]) reductos esse agnoverunt. Is Penelopae horrida immisit somnia ceteraque mala paravit,[3]) et Ulyssi calamitatem molitus, socios eius ad mactandos Solis boves instigavit.[4]) Idem vero etiam Ulyssi ad Cyclopem ulciscendum animum auxit,[5]) et ad domandos procos pulchra consilia in eius mente excitavit;[6]) Penelopae texendae et retexendae vestis inspiravit dolum,[7]) Telemacho verba, quibus apud Menelaum uteretur, suggessit.[8]) Ad eundem denique fatorum constitutio defertur, ita ut *δαίμονος αἶσα*[9]) ipsum sit fatum, et hominum sortes texere (*κατακλώ-*

1) Ibid. XIV, 386; XVII, 243; XXI, 201.
2) Ibid. XVI, 370. cf. XVIII, 146; Il. XI, 480.
3) Od. XX, 87; XVIII, 256.
4) Ibid. XII, 295.
5) Ibid. IX, 381.
6) Ibid. XIX, 10.
7) Ibid. XX, 87.
8) Ibid. III, 27. cf. Il. XI, 792.
9) Ibid. XI, 61. Elpenor, qui vino oppressus in Circes aedibus perierat, Ulyssi interroganti, quo fato mortuus esset, respondit:

„*Ἆσέ με δαίμονος αἶσα κακὴ καὶ ἀθέσφατος οἶνος.*"

Δαίμονος αἶσα proprie est daemonis dictio sive constitutio. *Αἶσα* enim cohaeret cum Latino aio et ducitur e radice Sanscrita अह् (*ah*), dicere. Verbum aio nititur forma causativa आहयामि (*âhayâmi*), quamquam ea in lingua Sanscrita iam non invenitur, indeque ducendum est verbum *ΑΙΩ*, cuius loco aucta forma *αἰ-νέω* in usu est, eodem modo ab *ΑΙΩ* effecta, quo *κι-νέω* a *κίω*, *κυ-νέω* a *κύω*. Litera h, quae in radice Sanscrita apparet, eiecta est, ut in multis aliis vocibus. Ita *δαίω* a दह् (*dah*), urere, in forma causativa दाहयामि (*dâhayâmi*), *δρίος* a दृह् (*drih*), crescere, via a वह् (*vah*), vehere, *δύω* a गुह् (*guh*), abscondere, *ῥώννυμι* a रुह् (*ruh*), crescere, formata sunt. Ex *ΑΙ-Ω* igitur et suffixo *σα αἶσα* composita est. Suffixum *σα*, cui in genere masculino respondet *σος*, nomina format, quae et agentem et actionem exprimunt; cf. *Μοῦσα*, *δόξα* (*δόκ-σα*), *ῥίζα* (*ῥίδ-σα*). Itaque *αἶ-σα* est, quae edicit ac constituit, aut ipsa edictio ac constitutio; unde sequitur, ut *αἶσα* esse possit vis fatorum constituens (Od. VII, 197; Il. XX. 127) et fatorum constituendorum actio, quo sensu nostro loco posita est. Cf. Hym. Cer. 301.

θεῖν) dicitur,[1]) verbo de iniungendis fatis proprio, quod plerumque ad Iovem et Parcas pertinet.[2]) Itaque pro ipso fato, non constituto eo sed constituenti, *δαίμονα* dici licebat; atque inde explicatur, qua ratione Hector Diomedi se „*δαίμονα δώσειν*" dicere potuerit.[3]) Daturum quidem ei se dicit letum; sed pro leto eam ponit vim, quae, ut fata omnia, sic etiam mortem afferat.[4])

In hisce locis omnibus non certa aliqua deorum persona animo obversatur, sed universa vis divina, quae arcana quadam atque incomprehensa ratione constituat cuncta ac perficiat. Sed quoniam universi numinis potestas inter singulos deos divisa est, his etiam idem tribuatur necesse est, quod *δαίμονι* tribui vidimus; neque tamen ita, ut eorum aliquis omnem *δαίμονος* vim cohibeat, sed tantum quasi aliquam eius partem gerat. Unde sequitur, ut singulorum deorum actionibus *δαίμονος* vis ac natura manifesta quasi fiat, et, quod ad eorum aliquem referatur, id optimo iure ad *δαίμονα* etiam referri possit. Itaque Lycaon, Priami filius, quum in Achillis potestatem venisset, postquam miseram hanc suam sortem primum a Parca infesta, deinde a Iove repetiit, postremo, Parcam et Iovem quasi coniungens, *δαίμονα* causam ait esse, cuius fugi posse designationem desperandum sit.[5]) Ratione contraria, quum Teucer, arcus nervo, qui Hectori telum letiferum allaturus erat, subito rupto, incerto quodam divinae potentiae sensu perculsus conquestus esset, quod *δαίμων* sua consilia perturbaret atque irrita faceret, Aiax, ad fratris verba respiciens eiusque *δαίμονα* accuratius quasi definiens

---

1) Od. XVI, 64. Ulyssi errores „ἐπέκλωσε δαίμων."
2) Ibid. III, 208; VII, 197. IV, 207.
3) Il. VIII, 166.
4) Non abludit nostrum: „Ich will dir den Todesengel senden." Apud Aeschylum θάνατος diciter δαίμων. fragm. 168, 4, Hermann.
5) Il. XXI, 83 et 93.

et ad certam personam revocans, „Iovem altitonantem“ eam vocavit vim, qui armis adimeret successum.[1]) Atque alio loco Furiae ita inducuntur, ut *δαίμονος* appareant esse ea pars, cui scelerum puniendorum munus datum sit.[2]) Quare ubicunque dei alicuius apparet vis, ibi *δαίμονος* etiam vis adest, et idcirco recte is, qui pugnet contra virum, quem deus honestet, contra *δαίμονα*, hoc est, vim divinam ei adhaerentem, pugnare dicitur.[3]) Itaque si ab Hesiodo aliisque multis serioris aetatis scriptoribus *δαίμονες* deorum administri dicuntur, apud Homerum dii potius *δαίμονος* administri sunt eiusque supremam vim ac voluntatem exsequuntur.

Ex his autem apertum fit, quam facile *δαίμονος* vis singulis diis potuerit putari superior; id quod evenire debebat, ubi dissentientibus diis et diversa ac pugnantia sequentibus summus quidam finis proponendus erat. Quare et Graeci et Troiani victoriae assignationem non a deorum aliquo, quippe qui ipsi acerrime inter se pugnarent, neque a Iove, quippe qui in neutram partem videretur sententiam tulisse, sed a *daemone,* tamquam principio potentiore, exspectabant[4]). Atque haec causa videtur fuisse, cur dii ipsi eos, in quibus *δαίμονος*

---

1) Teucer ait:

„Ὢ πόποι, ἦ δὴ πάγχυ μάχης ἐπὶ μήδεα κείρει
δαίμων ἡμετέρης.“ Il. XV, 367.

Aiax contra, ad illa verba respiciens:

„— πάγχυ μάχης ἐπὶ μήδεα κεῖρεν
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης.“ Il. XVI, 120.

2) Telemachus, „si,“ inquit, „matrem remisero, primum ab eius patre mala perpetiar;

„— ἄλλα δὲ δαίμων
δώσει· ἐπεὶ μήτηρ στυγερὰς ἀρήσετ᾽ Ἐρινῦς.“

Od. II, 134; hoc est: alia mala daemon impendet, cuius vis se ostendet in Furiarum a matre immissarum suppliciis.

3) „Ὁππότ᾽ ἀνὴρ ἐθέλῃ πρὸς δαίμονα φωτὶ μάχεσθαι,
ὅν κε θεὸς τιμᾷ.“ cet. Il. XVII, 98 et 104.

4) „— ὕστερον δ᾽ αὖτε μαχησόμεθ᾽, εἰσόκε δαίμων
ἄμμι διακρίνῃ, δώῃ δ᾽ ἑτέροισί γε νίκην.“ Il. VII, 291; 377; 396.

quaedam vis inesset, invictos et sibi ipsis formidolosos esse putarent[1]).

Denique singuli etiam dii, quia pro se quisque aliquam *δαίμονος* partem obtinebant eiusque munera obibant, recte *δαίμονες* vocabantur; quo nomine affectam videmus Venerem[2]) et cum reliquis diis Minervam[3]). Atque haec vis verbo semper inest et apud Homerum et apud scriptores plurimos, qui ante Platonem floruerunt, quum aut numero plurali positum aut pronomine indefinito *τίς* accuratius definitum est[4]). Namque num *στυγερὸς δαίμων*[5]) et *κακὸς δαίμων*[6]) certum quendam deum significet, an potius ipsum universum numen divinam, quod infestum et malignum sit, vix, puto, diiudicari poterit.

Hisce autem fere omnibus apertum etiam factum est, ubicunque *δαίμων* dictus sit, perveniri ab eo aliquid ad homines, quod ad eorum fata ac sortes constituendas pertineat. Unde facili ratione intelligitur, ut brevi omnia repetamus, *δαίμονος* nomine appellari aut universum numen divinum aut singulos deos ea parte, quatenus rerum distributores ac datores, hancque ipsam ob causam fatorum auctores et rectores putentur. Atque hic Homeri est usus. De quo postquam diligentius exposuimus, quia eo antiquissimo verborum significationis teste et quasi praeceptore utimur, de reliquis scriptoribus, qui ab illo nihil fere discedunt, brevioribus esse licet.

---

1) Cf. Apollinis verba Il. V, 438 et 459; (Diomedes in Aeneam irruit *δαίμονι ἶσος*) et Martis, ibid. 884.
2) Il. III, 420.
3) Il. I, 222 cum Schol.
4) Od. XVII, 446.
5) Od. V, 396.
6) Ibid. X, 64.

VI.

Itaque etiam in hymnis Homericis, apud Theognidem, Aeschylum, Sophoclem, Euripidem, Pindarum, alios, convenienter cum usu Homerico, *δαίμων* universum numen divinum exprimit una notione coniunctum, ea ratione, qua in *constituendis et tribuendis* iis, quae cuiusque fata continent, suprema auctoritate versatur. Ad eum tamquam causam ultimam omnis rerum humanarum constitutio et moderatio refertur: is suprema manu fatorum lanci dominatur eaque suam cuique sortem assignat[1]), salus pernicies, vita mors in eius arbitrio sita est[2]); aliis benevolus et faustus adest eorumque res omnes prospere moderatur et incredibili saepe felicitate exornat[3]), infestus alios adoritur, eosque in summam calamitatem

---

1) Soph. fragm. 209 ed. Ahrens:

„Ὅταν δὲ δαίμων ἀνδρὸς ἐυτυχοῦς τὸ πρὶν
πλάστιγγ' ἐρείσῃ τοῦ βίου παλίντροπον,
τὰ πόλλα φροῦδα καὶ καλῶς εἰρημένα."

cf. Aesch. Pers. 340 ed. Herm.

2) Polynices Antigonae timenti, ne morte sibi eripiatur. respondit:

„— ταῦτα δ' ἐν τῷ δαίμονι
καὶ τῇδε φῦναι χἀτέρᾳ." Soph. Oed. C. 1443; cf. Antig. 833; Pind. Isth. VI, 43.

3) Qui honesta facinora, Pindarus ait, parvo labore perficit, is multis, tamquam sapiens inter stultos, prudentibus consiliis vitam dirigere videtur;

„τὰ δ' οὐκ ἐπ' ἀνδράσι κεῖται· δαίμων δὲ παρίσχει,
ἄλλοτ' ἄλλον ὕπερθε βάλλων, αλλον δ' ὑπὸ χειρῶν
μέτρῳ καταβαίνει."

Pind. Pyth. 73 sq.

„Δαίμων δὲ τοῖς μὲν εὐτυχὴς καθ' ἡμέραν,
ἡμῖν δ' ἀποῤῥεῖ κἀπὶ μεδὲν ἔρχεται."

Soph. El. 999. cf. Theogn. 161 sq., Pind. Pyth. XII, 29; Soph. Oed. T. 1478.

detrudit[1]), et eosdem etiam tum secundo fortunae flatu prosequitur, tum tempestate adversa repellit[2]). Ab eo tribuuntur opes ac divitiae[3]), ab eo victoriae et honores donantur[4]), ab eo virtutis exercendae vis et amor proficiscitur[5]), ab eo animi tam ad pulchra quam ad turpia perficienda impelluntur[6]), ab eo denique, ut universa hominum natura, sic mentis intelligentia certis suis finibus circumscripta est[7]); sine eo nemo nec fortunatus neque inops, nec bonus nec malus est[8]). Quidquid igitur homines sunt et quidquid iis accidit, sive id

1) „Δαίμων ὠμοφρόνως ἐνέβη Περσῶν γενέᾳ," Aesch. Agam. 889, et florem virorum delevit. ibid. 901. Idem „ἐμπίτνει" genti Tantalidarum et duarum mulierum sceleribus tantas in ea turbas movet, ut Clytaemnestra iam omnia sibi suisque timenda esse censeat, quippe „δαίμονος χολῇ βαρείᾳ πεπληγμένοις." Aeschyl. Agam. 1436; 1632. Apud Soph. Oed. Col. 1749 ipsam salutis spem adimit. Atque ita cecinit Bacchyllides, fragm. 20 apud Bergk. l. l.:

„Πάντεσσι θνατοῖσι δαίμων ἐπέταξε πόνους ἄλλοισιν ἄλλους."

2) „Παύροισι δὲ θνατῶν τὸν ἅπαντα χρόνον δαίμων ἔδωκεν
γῆρας ἱκνεῖσθαι, πρὶν ἐγκύρσαι δύᾳ."

Bacchyll. fragm. 3, apud Bergk l. l. Cf. Aesch. Pers. 604; Soph. Oed. Col. 1568.

3) „Χρήματα μὲν δαίμων καὶ παγκάκῳ ἀνδρὶ δίδωσιν,
Κύρν'· ἀρετῆς δ' ὀλίγοις ἀνδράσι μοῖρ' ἕπεται."

Theogn. 149. cf. Hom. Hym. Bacch. VI, 31.

4) „Δαίμων φυτεύει δόξαν ἐπήρατον." Pind. Isth. V, 12. Cf. Ol. VIII, 67.

5) „Ἀγαθοὶ δὲ καὶ σοφοὶ κατὰ δαίμον' ἄνδρες — ἐγένοντο."

Pind. Ol. IX, 28; ubi videas scholia; et inferius Pindarus alta voce de Epharmosto sic canit:

„Τόνδ' ἀνέρα δαιμονίᾳ γεγάμεν
εὔχειρα, δεξιόγυιον, ὁρῶντ' ἀλκάν."

Ibid. 110. cf. Theogn. 149, supra Not. 3.

6) Δαίμων Ὀρέστην ἀπευθύνει ad patris ulciscendam iniuriam. Aesch. Agam. 1638. Aiacem δαίμων ἐδίδαξεν maledicta, quae in Graecorum duces congerit. Soph. Ai. 243. Tecmessam δαίμων ἐλᾷ, hoc est, ad mortem sibi adsciscendam compellit. Ibid. 504.

7) „Οὐδέ τι κεκριμένον πρὸς δαίμονός ἐστι βροτοῖσιν,
Οὐδ' ὁδὸν ἥν τις ἰὼν ἀθανάτοισιν ἅδοι."

Theogn. 381.

8) „Οὐδεὶς ἀνθρώπων οὐδ' ὄλβιος οὔτε πενιχρός,
Οὔτε κακὸς νόσφιν δαίμονος οὔτ' ἀγαθός."

Ibid. 165.

bonum sive malum est, constituitur et proficiscitur a daemonis vi et auctoritate. Neque ille certus aliquis deus est, iis quidem locis, e quibus, quae attulimus, petita sunt, multo autem minus natura quaedam divina diis inferior, quippe quae potestatem tam infinitam non possit sustinere; verum universum quoddam obscura cogitatione conceptum numen est, ante singulos deos positum, omnium rerum legem ac modum continens, in puo *unum quoddam et summum divinae fatorum constitutionis principium* agnoscitur[1]).

Praecipue autem vis divina vigere putabatur in eo rerum ordine, quo divinae iustitiae leges continebantur; in hocque et instituendo et conservando maxime divinum dandi ac distribuendi munus apparebat. Primum enim hic ordo ipse totus, ut veteres recto iudicio intelligebant, a numine divino manabat nihilque erat aliud, nisi ea ab illius consilio ac voluntate profecta ratio, secundum quam res omnes constituebantur et regebantur, quae ad hominum actiones relata summa erat lex, qua, quid iustum, quid iniustum esset, quidque utrumque sequeretur, definitum erat. Is igitur ut efficeretur, quum omnium rerum decursus et eventus ad certum aliquem finem erant dirigendi, tum hominibus, qui se ipsi naturali quadam opinione primum locum in divina rerum administratione obtinere credunt eamque ad se potissimum referunt, suus

---

1) Daemonem re vera singulis diis superiorem ac potentiorem esse, necessario sequi videtur e Pindari loco, quem modo attulimus. Postquam enim viros κατὰ δαίμονα fortes ac sapientes fieri dixit, hanc ipsam ait fuisse causam, cur Hercules cum Neptuno et Apolline et Plutone pugnare eosque devincere potuerit Pind. Ol. IX, 28—35. Quodsi igitur Hercules a daemone sapientia et fortitudine et robore instructus illos tres deos superavit, nonne ipsum daemonem diis illis superiorem ac potentiorem esse oportebat? Possit quidem aliquis putare, daemonem hoc loco a Pindaro intelligi Jovem, quippe ceteris diis superiorem; atque ita unus scholasta ad Ol. IX, 43 et 50 vulg. explicat; sed in ipso carmine nihil inest, quod hanc interpretationem firmare possit.

cuique assignandus erat locus, sua officia, munera, labores imponenda, sua denique animi et corporis vires ac facultates, quibus illa perficerent, tribuendae erant. Itaque haec omnia plerumque quidem ad deorum principem, Jovem,[1] interdum ad Parcam,[2] saepe ad omnes deos[3]) revocabantur; revocabantur vero etiam ad *δαίμονα*, ea praesertim parte, qua ad hominum conditiones ac sortes pertinebant. In eo enim fatorum assignatio ita posita erat, ut, si quis vel sapientia, vel virtute, vel prospero rerum successu, vel opibus floreret, vel fortuna adversa afflictaretur, in his omnibus *δαίμονος* suprema vis et auctoritas agnosceretur.[4] Atque ut plane nobis persuadeamus, non esse eum certum aliquem deum vel etiam genium diis inferiorem, sed universi cuiusdam numinis, quod cunctorum deorum numina complectatur, munere fungi, prospera fortuna Theognis nobis exstitit testis, qui, quod in

---

1) Jovis voluntatem omnium rerum summam legem ac normam esse, innumeris exemplis probatur. Aeschylus rerum ordinem ab eo constitutum appellat „*τὰν Διὸς ἁρμονίαν*," quae mortalium consiliis non possit superari. Prometh. 549. Eius placita continent id, quod iustum est, et propterea vocantur *θέμιστες* sive *θέμιτες*, Hom. Od. XVI, 403; Pind. Ol. XI, 24; quae ab Apolline hominibus nuntiantur. Pind. Pyth. IV,54; fragm. 204; Hom. Hymn. Apoll. 252; 292; 394. cf. Müller. Dor. I, p. 338. Ipse „*πολιῷ νόμῳ αἶσαν ὀρθοῖ*," Aesch. Suppl. 647; et ex Themide filias procreavit Horas, *Εὐνομίαν, Δίκην, Εἰρήνην*, Hesiod. Theogn. 901, Pind. fragm. 6; hoc est: ordinem, iustitiam, pacem atque omnium rerum consensionem primus constituit; atque propter hanc ipsam causam a Pindaro vocatur „*ἀριστοτέχνας πατήρ*," Pind. fragm. 29, coll. Plut. S. N. V. 11. aliisque locis a Boeckhio ad Pind. l. l. allatis. Cf. Aristid. I, p. 10 ed. Dindorf. Quare quodcunque fit, in eo Jovis voluntas apparet. „*Κοὐδὲν τούτων, ὅ, τι μὴ Ζεύς.*" Soph. Trach. 1280. cf. Aesch. Agam. 1453.

2) Parcae cum Furiis, ut uno exemplo totam causam absolvam, ab Aeschylo necessitatis, qua omnia constricta tenentur, rectrices appellantur:

„*Τίς οὖν ἀνάγκης ἐστὶν οἰακοστρόφος;*
Μοῖραι τρίμορφοι, μνήμονες τ' Ἐρινύες." Prometh. 517.

3) „*Θεοὶ δὲ κατὰ σφέτερον πάντα τελοῦσι νόον.*" Theogn. 142.

4) Vide locos, quos supra p. 23 sq. laudavimus.

δαίμονος voluntate dixit repositum esse, idem paulo post *a diis* implorare iubet.[1])

Deinde autem hunc ordinem, ut institutum esse a numine divino intelligebant, ita ab eo sentiebant conservari. In qua re hoc maxime ad homines pertinebat et perpetua quadam religione ac metu eos occupabat, quod, quicunque ordinem illum violasset, eum inevitabili supplicio coercitum iri sciebant. Atque hanc iniuriarum ultionem quamquam plerumque ad Jovis auctoritatem referebant,[2]) tamen saepe etiam in ea vim universi cuiusdam ac summi numinis suspicabantur, quod certo semper consilio et successu cuiusvis iniuste facti poenas persequeretur et legis suae sanctitatem suae iustitiae aequabilitate tueretur. Cuius numinis natura quum maxime in *tribuendis* suppliciis se ostenderet, iterum optime *δαίμονος* appellatione exprimebatur. Is igitur videns omnia et audiens et curans pro ordinis divini conservatione vigilat eiusque severus semper existit vindex; is quemvis eius violatorem ubivis latentem acri mente speculatur et graves commissi poenas expetit;[3]) ab eo iniuriarum vindictam, et qui perpessi eas sunt et qui intulerant, exspectandam esse sentiunt. Quare Oedipus in gravi calamitatis suae dolore in eo

---

1) Theognis sic loquitur, vers. 165:

„Οὐδεὶς ἀνθρώπων οὐδ' ὄλβιος οὔτε πενιχρός,
Οὔτε κακὸς νόσφιν δαίμονος οὔτ' ἀγαθός."

et quatuor versibus interiectis, 171:

„Θεοῖς εὔχου, θεοῖσιν γὰρ ἔπι κράτος· οὔτοι ἄτερ θεῶν
Γίνεται ἀνθρώποις οὔτ' ἀγαθ' οὔτε κακά."

2) „Μίμνει δὲ μίμνοντος ἐν θρόνῳ Διὸς
Παθεῖν τὸν ἔρξαντα· θέσμιον γάρ."

Aesch. Agam. 1530. cf. 1453.

3) His fere muneribus Critias exornat *δαίμονα* eum, quem ad legum publicarum firmandam auctoritatem a legislatore inventum esse ait. Sext. Emp. IX, 54, vers. 16 sq; et eadem ab aliis scriptoribus ei tribuuntur. Cf. Aesch. Sept. 929 sq. Aagam. 1436 sq. 1632. Soph. Oed. C. 1370; al.

etiam aliquid habebat consolationis, quod **δαίμονα** sciebat certum sibi exstiturum esse iniuriarum acceptarum vindicem,[1])

Nullum igitnr crimen ille non cernit, nullius obliviscitur, nullius ultionem praetermittit. Propterea **δαίμων ἀλάστωρ** cognominatur, hoc est: numen divinum, iniuriarum memoriam servans earumque, etiamsi seram nonnunquam, tamen certam semper poenam repetens.[2]) Cuius in ulciscendis sceleribus

---

1) Oedipus Polynici his verbis minatur:

„*Τοιγάρ σ' ὁ δαίμων εἰσορᾷ μὲν οὔ τί πω*
ὡς αὐτίκα." Oed. C. 1370; cf. 788.

2) Variae sunt de vocis *ἀλάστωρ* origine et prima significatione sententiae. Tafelius in Steph. Thes. s. v. cum *ἄλη* et *ἀλέεσθαι* sive *ἀλεύειν* et *ἐλαύνειν* cognatam vocem esse censens, *δαίμονα* propterea ita nominari dicit, quia persequatur homines scelestos eosque errabundos agat et saepe in mentis insaniam coniiciat. Hermannus ad Soph. Oed. C. 1483 a *λάζεσθαι* originem ducens non tollerandi notionem esse putat primariam, spreta ea interpretatione, quae a *λήθειν* repetitur. Verumtamen hanc solam veram esse iudico, quia et formae vocis optime convenit et aditum nobis parat ad eam Graecorum cogitationem, quae et genuit hanc vocem eaque rursus in animis gignebatur. Haec autem cogitatio in eo sita erat, quod nullum unqum crimen abolescere sentiebant oblivione, sed in mente numinis divini acrem eius vivere memoriam, quae, quamvis supplicia differret, certo tamen ea exsecutura esset. Manet enim sua quamque culpam vindicta, etiamsi diu saepe intermittitur; vel, ut cum Aeschylo loquar, „*μίμνει — παθεῖν τὸν ἔρξαντα;*" Agam. 1530; quam sententiam graviter ac pulchre expressit etiam Solon, Hypoth. 25. cf. Theogn. 203; Aesch. Suppl. 417; 703. Et hanc ob causam Furiae, quae prae ceteris ulciscendi munus habent, *μνήμονες* appellantur. Aesch. Prom. 518; Soph. Ai. 1390. Itaque *ἀλάστωρ*, si ab *α* privativo et *λήθειν* ducitur, proprie hanc de vindicta divina opinionem exprimit, et *δαίμων ἀλάστωρ* est numen divinum, quod nullius criminis obliviscitur; quae notio supplicii futuri notionem, ut causa effectum, per se ipsa continet. Atque hanc nominis vim et originem iam Plutarchus aperte agnovit, qui, „*ἀλάστορας,*" inquit, „*καὶ παλαμναίους ὀνομάζουσι (δαίμονάς τινας) ὡς ἀλήστων τινῶν καὶ παλαιῶν μιασμάτων μνήμαις ἐπεξιόντας;*" De orac. def. c. 15; et idem de eadem voce, sensu passivo de hominibus adhibito „*ἀλάστωρ,*" inquit, „*κέκληται ὁ ἄληστα καὶ πολὺν χρόνον μνημονευθησόμενα δεδρακώς.*" Quaest. Graec. 25. Sed viguisse eam in veterum etiam animis, ex omnibus fere locis, quibus **δαίμων ἀλάστωρ** dictus est, suspicari possumus. Semper enim aut veteris

vis summa eo usque agnoscitur, ut apud Aeschylum Clytaemnestra, quum Agamemnonis caedes vehementius ei exprobratur, assentiente fere choro, in quo ipsius poetae iudicium video, non se, sed sua specie indutum veterem Atrei *ἀλάστορα* facinus cruentum perpetrasse contendat.[1])

Neque enim hic, apud Aeschylum certe, apud quem primum huius nominis usum invenio,[2]) neque apud Sophoclem[3]) maleficus quidam genius est, quo sensu *δαίμονες ἀλάστορες* et qui idem fere valent, *παλαμναῖοι* et *ἀποτρόπαιοι* apud posteriores saepe dicuntur,[4]) quemque recentiores etiam tragicis illis vindicarunt;[5]) verum quemadmodum apud Homerum *δαίμονα*

---

culpae vindex est aut praesentis criminis ultor futurus timetur. Cf. Aesch. Agam. 1468 et 1475; Pers. 349; Suppl. 398 sq. Soph. Oed. Col. 788. Jam vero quum hac voce proprie significetur numen divinum scelerum memor, cum hacque significatione impiorum persecutio coniuncta sit, facile intelligitur, qua ratione Aiax Graecorum duces *ἀλάστορας* (Soph. Ai. 373) et Hercules leonem Nemeaeum *βουκόλων ἀλάστορα* (Soph. Trach. 1094) dicere potuerint. Similitudo enim ab effectu, non a causa petita est. *Ἀλάστορες* autem, quae insaniae effectrices dicuntur apud Soph. Trach. 1237, sine dubio Furiae sunt, in quas propria vocis notio eodem iure cadit, quo *μνήμονας* eas appellari vidimus.

1) Aesch. Agam. 1465, coll. 1475.

2) Quatuor locis apud Aeschylum *ἀλάστωρ* occurrit: Suppl. 399 (*θεὸς ἀλάστωρ*); Agam. 1468 et 1475; Pers. 348.

3) Soph. Oed. Col. 788; Trach. 1237 et 1094; Ai. 373.

4) Plut. Defect. orac. c. 14 et 15; Pausan. II, 18, 2; al.

5) Vide Musgrav. ad Soph. Ai. 243, et Johnson ibid. 1214, quos contra disputant Hermannus et Lobeckius. Cf. Peters, Theologum. Soph. p. 10 (Monasterii 1845) et Clausen, Theologum. Aeschyl. p. 10.

Apud Stobaeum quidem iam Zaleucus, celeber ille Locrorum legislator, hoc nomine genios ultores appellat. Praecipit enim ei, quem forte malus genius (*δαίμων κακὸς*) ad iniuriam faciendam illicere tentet, ut ad deorum aras et sapientium virorum institutiones confugiat, omnique modo ab iniustis actionibus caveat, „*δείσας δαίμονας ἀλάστορας.*" Ita enim locum corruptum rescribendum esse censeo pro *δεισιδαιμονῶν*. Stob. Serm. XLII. p. 279, ed. Gesner. Lugd. 1609. Sed etsi Zaleucus ipse, quem Eusebius in Chronico ad Ol. 29. refert, uno saeculo et dimidio Aeschyli aetatem antecedit (vide Bentley Epist. Phalar.

Furiarum etiam munera cohibere vidimus,[1]) ita illis *δαίμων ἀλάςτωρ* primum generatim numen divinum significat, ea parte, quatenus scelerum ulciscendorum suprema potestate utitur. Namque tantum abest, ut quoquam deorum inferior sit, ut vel ipso Marte mandatorum suorum quasi ministro uti videatur.[2]) Facile quidem potuit fieri, ut, si mens de vindicta

---

p. 339; Fabric. Bibl. Gr. II, p. 4), tamen quae apud Stobaeum eius dicta et praecepta leguntur, multo esse Aeschylo posteriora, et sententiis et verbis certo evincitur. Neque enim solum inde, quod mundus appellatur *κόσμος*, qui vocis usus ad Pythagoram refertur auctorem, (Plut. Placit. Philos. II, 1; Galen. Hist. philos. p. 429; cf. Bentley. opusc. philol. p. 347) et quod tragoediae in rebus ad deorum cultum pertinentibus memorantur, post Pythagorae aetatem illa composita esse intelligitur, — vide Bentley. Epist. Phalar. l. l. Fabric Bibl. Gr. II, p. 1 sq. quique ibi laudantur scriptores —; sed etiam universa sententiarum et verborum comparatio prorsus mihi persuadet, non scribi et dici ita potuisse ante Aristotelicae rationis cognitionem. In qua re satis esse puto monere, tantam in illo apud Stobaeum loco vim „*τῇ προαιρέσει τῶν καλῶν ἔργων*" tribui, quanta ante eximiam Aristotelis de actionum humanarum libertate disputationem, Ethic. Nic. III, 1. sq, in primis III. 2 et 3, non videatur ei tribui potuisse. Veteres enim Graeci non tam in actionis consilio, quam in ipsa actione virtutis et vitii vim ponebant. Hinc autem intelligitur, illo loco non demonstrari, iam Zaleuci tempore publicam et communem fuisse inter Graecos de daemonibus a diis diversis opinionem; id quod voluit Creuzer, Symbol. III, p. 737, ed. 3. cf. Goettling. ad Hesiod. Op. 122. De Zaleuco in universum vide Timaeum apud Strab. VI, 260; Aristotelem apud Schol. Pind. XI, 17 et 83 vulg. Cic. Leg. II, 6; Demosthen. adv. Timocr. p. 496; Suid. s. v. *Ζάλευκος*. Heyne Opusc. Acad. II, p. 62; Fabric. Bibl. Gr. II, p. 1 sq.

1) Od. II, 134. cf. supra p. 21.

2) Postquam Clytaemnestra Agamemnonis caedem ad *ἀλάστορα* auctorem retulit, non dissentiens chorus sic loquitur:

„*Πατρόθεν δὲ συλλήπτωρ γένοιτ' ἂν ἀλάστωρ·*
βιάζεται δ' ὁμοσπόροις
ἐπιῤῥοαῖσιν αἱμάτων
μέλας Ἄρης· ὅποι δὲ καὶ προβαίνων
πάχνᾳ κουροβόρῳ παρέξει."

Aesch. Agam. 1475. Cuius loci sententia est haec: Fieri potest, ut propter patris Atrei scelus numen divinum, quod nunquem ultionis obliviscitur, tibi adstiterit; saevit enim Mars atrox, — in eo igitur *ἀλάστορος* vis apparet — cogna-

divina cogitans in hoc solo numinis divini munere defixa esset, ceteris omnibus, quae in eo sunt, neglectis, *δαίμων ἀλάστωρ* peculiare quoddam numen videretur esse, cuius tota natura in sola scelerum ultione posita esset:[1]) a qua cogitatione seriore tempore genii ultores a diis diversi profecti sunt. Neque tamen propterea apud Aeschylum et Sophoclem certae alicuius personae divinae lineamentis circumscriptus est, sed remanet in eo infinitas et quasi obscuritas universi numinis divini, cuius partem aliquam ostendit. Quare, ut omnia *δαίμονος*, h. e. universi numinis, munera atque officia a diis singulis perficiuntur, ita *ἀλάστορος* quoque partes, si certi dei persona requiritur, ad deorum cognitorum aliquem deferuntur; isque ipse propterea est *ἀλάστωρ*. Velut iam supra vidimus in Atrei tetro facinore ulciscendo Martem *ἀλάστορος* personam gessisse; et *ἀλάστωρ* ille *δαίμων*, Persarum cladis auctor, ipse est Iupiter, qui nimiam Xerxis superbiam acri poena refrenavit.[2]) Apud Sophoclem Furiae,

---

torum sanguinis effusione; hoc est: violentus est ultor, si quando cognatorum sanguis effusus est, et quoquo progreditur, eandem aliquando certe natorum voratorum cruori praestabit; hoc est: quamvis diu ultionem intermittat eamque a criminis auctore usque ad liberos eius vel nepotes vel pronepotes differat, tamen certo aliquando eam exsequetur, ita ut sanguini effuso effundendo sanguine satisfiat. De qua sententia cf. supra p. 28 Not. 2, et Aesch. Suppl. 417 et 702. Atque hac ratione locum difficillimum, Hermanni exquisita emendatione adiuti, plane expedivisse nobis videmur.

1) Ad talem fere cogitationem permovetur animus, si legimus Aeschyli (Suppl. 399) locum, ubi describit

— τὸν πανώλεθρον θεόν,
βαρὺν ξύνοικον — ἀλάστορα,
ὃς οὐδ' ἐν Ἅιδου τὸν θανόντ' ἐλευθεροῖ.“

2) *„ἦρξεν — τοῦ παντὸς κακοῦ*
φανεὶς ἀλάστωρ ἢ κακὸς δαίμων ποθέν.“

Aesch. Pers. 348. Quem daemonem esse ipsum Jovem, intelligitur comparatis versibus 726; 741; 829. Hac autem occasione oblata non praetermittendum esse censeo monere, *ἀλάστορα δαίμονα* et *κακὸν δαίμονα*, qui, quasi sint iidem, ab interpretibus confundi solent, ut factum est a Goettlingio ad Hesiod. Op.

quae ipsa sua natura criminum ultrices sunt, *ἀλάστορες* vocantur.[1]) Quum vero suam cuiusque iniuriam sive acceptam sive illatam certa vindicta sequeretur, suum quisque se habere sciebat *ἀλάστορα*; qui rursus aut universa vis divina erat, quatenus suam cuiusque iniuriam ulciscebatur, aut deus aliquis, qui universi numinis hoc munus susceperat.[2])

Iam vero, quoniam in universa hominum vita omnino nihil est, quod non a numinis divini designatione et effectione proficiscatur, hoc autem numen una notione comprehensum *δαίμων* appellatur, ad hunc prae ceteris omnes casus ac sortes, in quibus non certi alicuius dei vis agnoscitur, tamquam supremam causam homines referunt. Maxime autem eos tum id facere, quum rebus adversis afflictantur, mirum videri non debet, quoniam ea est humanorum animorum perversitas, ut, quum prospera fortuna florentes numinis divini fere obliviscantur, aerumnis ac miseriis maxime ad

---

122, notione esse omnino diversa. Uterque quidem mali alicuius auctor est; sed *κακὸς δαίμων* homines nihil etiam meritos quum in alias quasvis calamitates coniicit, tum ad iniusta facinora impellit, *ἀλάστωρ* autem, quae iam iniuste facta sunt, ulciscitur. Utrumque ab eodem numine proficiscitur, quod tum auctor criminis, tum ultor est; sed cogitatione hae duae eius partes distinguuntur et tribuitur altera *δαίμονι κακῷ*, altera *δαίμονι ἀλάστορι*. Quae differentia dilucide ex iis, quae sub Zaleuci nomine e Stobaeo attulimus, quamquam ibi iam de geniis, non de universo numine divino agitur, intelligi potest. Itaque homines neque si iusti neque si iniusti erant, a numinis maleficentia poterant tuti esse et facile fieri poterat, ut nescirent, num ab eius malitia an ultione calamitas ac miseria repetenda esset. Neque enim compertum habebant mortales, qua ratione diis immortalibus possent placere. Theogn. 381. Itaque apud Aeschylum etiam nuntius, qui Persarum cladem Atossae nuntiavit, ignorabat, num ea commissi criminis poena an immerita aliqua miseria esset, et idcirco, num ad ultorem deum an malignum esset revocanda. Misera sane hominum conditio, qui se numini divino quasi ludibrio scirent esse nulloque temporis momento timore ac formidine vacare possent!

1) Soph. Trach 1237.

2) Soph. Oed. C. 788 (*ἀλάστωρ οὑμός*), Aesch. Agam. 1469 (*παλαιὸς ἀλάστωρ Ἀτρέως*).

eius agnitionem et venerationem excitari soleant.[1]) *Δαίμονος* igitur vim et impulsionem incusant, qui gravi scelere se obligarunt;[2]) de huius saevitia atque iniquitate, qui in magnam aliquam calamitatem inciderunt, conqueruntur;[3]) hunc aerumnis ac doloribus oppressi deplorant, hunc appellant, huius exclamant nomen, quasi hoc solo nomine tota malorum suorum vis contineatur. „*Ἰὼ ἰὼ δαῖμον!*“ eiulatur apud Sophoclem confectus dolorum cruciatibus Hercules.[4]) Hinc multae illae saevi daemonis appellationes, quales sunt *στυγνός, στυγερός, ὠμός, ὠμόφρων, βαρύς, χαλεπός, δυσπόνητος, δριμύς, δυστυχής, ὀλοός, ἕτερος, κακός,*[5]) quum ad benignum significandum daemonem paucae tantum inveniantur, ut *εὐτυχής, δίκαιος, ἐσθλός, πρόφρων.*[6]) Quodsi autem aliquis omnia vitae suae fata ac conditiones una notione complectitur, vim illam ac voluntatem divinam, quam eorum efficientem esse sentit, suum vocat *δαίμονα,* qui Sophocli et Aeschylo nunquam genius quidam est, qualem Platonici maxime singulis hominibus obtigisse docuerunt, sed aut generatim numen divinum, quatenus in unius cuiusque fatis constituendis versari et ad certum aliquem finem ea dirigere putatur, omni definiti alicuius dei cogitatione omissa,[7]) aut aliquis e deorum cognitorum numero, cuius quis prae ceteris vim in suis rebus moderandis sibi agnoscere videtur,[8]) aut denique in

---

1) Cf. Aesch. Pers. 492. Pind. Pyth. I, 29.

2) Aesch. Agam. 1445, coll. 1468. Soph. Oed. T. 828. Pind. Pyth. III, 24. Isth. VI, 43.

3) Aesch. Pers. 467 et 510.

4) Soph. Trach. 1028. cf. Philoct. 1186. Oed. T. 1310. Alcman fragm. 39 apud Bergk l. l.

5) Aesch. Pers. 467. Soph. Ai. 1214. Oed. T. 828. Aesch. Pers. 889. 510. Agam. 1469. Theog. 637. Soph. Oed. C. 1766. Alcman fragm. l. l. Aesch. Pers. 348. Pind. Pyth. III, 34.

6) Soph. El. 999. Oed. C. 1568. Theogn. 349. 403.

7) Soph. Trach. 912. Ai. 534.

8) Soph. Oed. T. 1300. coll. 1310 et 1329.

universum deus aliquis, de cuius nec nomine nec natura amplius cogitatur.[1]) Et ad hanc communem Graecorum sententiam fata omnia a daemonis efficientia repetentem respexisse videtur Heraclitus, vulgarium opinionum cavillator atque irrisor, qui, quum a sui cuiusque ingenii comparatione omnia fere hominum studia et consilia et actiones et propterea etiam fata universamque vitae conditionem pendere intelligeret, „ἦθος," inquit, „ἀνθρώπων δαίμων;" hoc est, Alexandro Aphrodisio interprete, *φύσις*.[2]) Neque autem singulorum solum hominum sortes in numinis divini designatione repositae sunt, sed etiam gentes suum habent *δαίμονα*, qui earum fata constituit ac regit[3]). Expressa vero est hac de daemone doctrina gravis haec Graecorum sententia, provida et praecedenti numinis divini designatione et singulorum hominum et gentium fata constituta esse ab eodemque numine ad certum exitum perduci. Quae sententia ab ea, quae omnem fati vim a necessitate in ipsa rerum aeterna comparatione sita repetebat et non minus inter Graecos trita erat, omnino diversa est; et facile intelligitur, quanti ea sit momenti ad universam Graecorum de fati natura opinionem recte perspiciendam. Quum vero hominum fortuna plurimas habere soleat vicissitudines, hae etiam repetuntur a daemone, qui quoniam tum secundas tum adversas res immittit, ita repraesentatur, quasi pro fortunae varietate in plures daemones divisus sit; quamquam re vera de eodem semper summo numine cogitatur, quod alio tempore aliud se ostendat[4]). Denique *δαίμων*, quoniam cum

---

1) Soph. Oed. C. 1766.

2) Alexand. Aphrod. de fato p. 56. cf. Schleiermacher, Heracliti fragm. in Buttmann. et Wolf. Mus. Antiq. I, p. 504.

3) Aesch. Agam. 1445. 1535.

4) Haec sententia optime illustratur pulchris his Pindari versibus, Pyth. III, 107:

„Σμικρὸς ἐν σμικροῖς, μέγας ἐν μεγάλοις
ἔσσομαι· τὸν ἀμφέποντ' αἰεὶ φρασὶν
δαίμον' ἀσκήσω κατ' ἐμὰν θεραπεύων μαχανάν."

eius notione semper coniuncta est munerum divinorum distributio, qua hominum sortes continentur, generatim etiam vim fatalem in numinis divini voluntate positam, et per translationem ipsum fatum significare potest[1]), dummodo teneas, semper magis respici vim efficientem quam quod ab ea effectum sit. Ita ut, si quis de daemone suo conqueratur, non proprie de sorte sua, sed potius de numinis divini ea vi, quae hanc sortem efficiat, conqueri videatur. Atque in hac notione fieri potest, ut homines, quoniam ex aliqua parte in eorum voluntate ab eaque profectis actionibus situm est, ut numinis divini potestate fatorum constituenti aut amica aut adversa utantur, ipsi suum sibi *δαίμονα* eligere possint, quemadmodum apud Sophoclem chorus Philoctetam pro meliore daemone deteriorem elegisse dicit[2]).

---

quorum sensus hic est: numen divinum, quale quoque tempore se mihi praestat et sortem meam constituit, animo pro viribus colam ad eiusque voluntatem totum me applicabo, ita ut, quum parva data fortuna parvum me esse voluerit, parvum me geram, quum autem magnis me rebus exornaverit ideoque me voluerit magnum esse, magnum me praestem consiliis et facinoribus, semper autem sorte ab eo constituta contentus sim. Qua sententia ad universam carminis voluntatem nihil potest esse convenientius. Ne autem *δαίμονα* credamus genium esse, qui singulis hominibus dux ac comes additus sit, in cuius locum per vices alius succedat, obstat Pindari usus, qui genium quidem hominum ducem agnoscit, neque tamen plures sed unum tantum esse vult. cf. Pyth. V, 122; Ol. XIII, 28 et 105. Atque haec omnium est sententia, qui hominibus daemones comites addunt. cf. Procl. in Plat. Alcib. prim. p. 76 ed. Creuzer. Eodem sensu, quo apud Pindarum l. l. daemonem dici vidimus, adhibitus est apud Aesch. Pers. 604. 827. Soph. El. 916. 1305.

1) „*Κατὰ δαίμονα καὶ τύχαν τὰ πάντα βροτοῖσιν ἐκτελεῖται.*“ Diagoras apud Bergk. l. l. fragm. 2. Cf. Soph. Oed. T. 1193. Oed. C. 76. 1337. Aesch. Pers. 919. Huc referri etiam potest „*δαίμων ἀγαθός καὶ τύχη ἀγαθή.*“ Paus. IX, 39, 5. De *δαίμονος ἀγαθοῦ* significatione uberrime egit Gerhardus in dissertatione: „De Agathodaemone et Bona dea.“ In Dissert. Acad. Reg. Berol. 1847.

2) Soph. Philoct. 1099. Locum hunc difficilem ne Hermanni quidem ingenio plane expeditum esse arbitror. Sententiam enim et ex universi loci comparatione et e Scholiastae interpretatione hanc esse intelligitur:

In omnibus, quae adhuc disputavimus, ea **δαίμονος** notio, qua universum quoddam numen divinum significat, praevalet. Sed quemadmodum apud Homerum vidimus, ita etiam apud eos scriptores, de quibus agimus, **δαίμων** singulorum deorum admodum frequens appellatio est, cuius rei causa et per se patet et supra indicata est. Itaque primum, si **δαίμονες** numero plurali positi sunt, aut si **δαίμων** adiecta aliqua voce, velut *τίς*, accuratius definitus est, semper significantur dii aut aliquis deorum, nunquam autem genius diis inferior. Praeterea etiam interdum ex sententiarum perpetuitate apparet, certum aliquem deum illo nomine intelligendum esse.

Tu ipse tibi haec contraxisti et non per alium, qui te superior sit, iis teneris; siquidem, quum liceret sapere, pro meliore sorte deteriorem elegisti. — Omnis autem difficultas sita est in librorum scriptione *τύχᾳ τῷδε*, pro qua alii exhibent *τῇδε*, Triclinius *τᾷδε*; quae quum metro non sufficerent, *τῇδε* autem et *τᾷδε* nimis etiam correctorem saperent, Hermannus pro *τῷδε* scripsit *ὧδε*, aliis etiam ad antistrophae normam refictis. Mihi autem *τῷδε*, quod veteres libri tuentur, quum qua ratione contra usitatissimas grammatices regulas irrumpere potuerit, non assequar, genuinum esse, *τύχᾳ* autem primo ad explicandum *τῷδε* superscriptum, postea in ipsum versum receptum esse videtur. Itaque non dubito, totum locum et ad sensum et ad antistropham accommodate sic rescribere:

„*Σύ τοι, σύ τοι κατηξίωσας, ὦ βαρύποτμε, κοὐκ*
ἄλλοθε τῷδ' ἐνέχει ἀπὸ μείζονος,
εὖτέ γε παρὸν φρονῆσαι
τοῦ λῴονος δαίμονος εἷλου τὸ κακίον αἰνεῖν.“

Consentit antistropha, si *ἀρά*, quae bis posita friget, semel eiicitur:

„*Πότμος, πότμος σε δαιμόνων τάδ', οὐδέ σέ γε δόλος*
ἔσχ' ὑπὸ χειρὸς ἐμᾶς· στυγερὰν ἔχε
δύσποτμον ἀρὰν ἐπ' ἄλλοις.
καὶ γὰρ ἐμοὶ τοῦτο μέλει, μὴ φιλότητ' ἀπώσῃ.“

Ita metra in stropha et antistropha prorsus consentiunt, excepto utriusque versu ultimo, qui in stropha prima sede diiambum habet, cui choriambus in antistropha respondet; id quod alias etiam invenitur. Vid. Hermann ad Soph. Philoct. 1088. Scio quidem, in particula suffixa *θεν ν* non omitti solere nisi in paucis vocibus, velut in *ἔνερθε, ὕπερθε*, et non memini me legere *ἄλλοθε* pro *ἄλλοθεν* scriptum. Sed non puto hanc licentiam tantam esse, ut Sophocles eam sibi non permittendam esse censuerit.

In re notissima vix exemplis videtur opus esse. Aeschylus saepe eosdem, quos modo *θεοὺς* vocavit, paulo post appellat *δαίμονας* [1]) quosque dixit Thebarum „*πολλισσούχους θεούς*" et „*θεοὺς πολίτας,*" eosdem postea nominat „*πολιούχους δαίμονας;*" [2]) Furiaeque tum „*γῆς ἔνερθε δαίμονες,*" tum „*θεοὶ κατὰ γᾶς*" nuncupantur; [3]) apud Sophoclem autem Menelaus Teucro, ne *θεοὺς* contemnat, monenti statim, se *δαιμόνων* leges colere, respondet; [4]) et Herodotus in eodem enuntiato Dionysum et *θεοῦ* et *δαίμονος* nomine appellat. [5]) Quibus exemplis innumerisque aliis, quae hic afferre non attinet, manifesto demonstratur, *easdem naturas ac personas divinas δαιμόνων* atque *θεῶν* nomine significari.

Deinde etiam nominatim singuli dii, tam superiores quam inferiores, *δαίμονος* appellatione utuntur; atque omnium primus ipse deorum princeps Jupiter, qui *δαίμων πανδαμάτωρ* et *μέγας δαίμων* vocatur; [6]) deinde ceteri dii fere omnes, ut Neptunus, [7]) Pluto, [8]) Apollo, [9]) Sol, [10]) Mars, [11]) Mercurius, [12]) Dionysus; [13]) tum dii inferi coniunctim „*Χθόνιοι δαίμονες ἁγνοί, Γῆ τε καὶ Ἑρμῆ, βασιλεῦ τ' ἐνέρων*" advocan-

---

1) Aesch. Sept. 93. coll. 166. et 193; 51. coll. 157; 216. coll. 219; Choeph. 208. coll. 210.

2) Aesch. Sept. 69 et 276 coll. 802. Cf. Thucyd. IV, 97.

3) Aesch. Choeph. 117 et 469. Eum. 916 et 879. cf. Soph. Oed. C. 466 coll. 40. Parcae utroque nomine utuntur apud Aesch. Eum. 947 et 948.

4) Soph. Ai. 1129 et 1130.

5) Herod. IV, 79. Cf. IV, 94 et 96, ubi Salmoxis tum *θεὸς* tum *δαίμων* vacatur.

6) Soph. Philoct. 1497 et 1415. Oed. Col. 1480 coll. 1485. Aesch. Pers. 726 coll. 829.

7) Soph. Oed. C. 709.

8) Hymn. Hom. Cer. 339. Aesch. Pers. 631.

9) Soph. El. 658 coll. 655. Oed. T. 244. 1328 sq.

10) Hom. Hymn. Merc. 381. Pind. Ol. VII, 39.

11) Aesch. Sept. 101 sq.

12) Hom. Hymn. Pan. 41. Hymn. Merc. 343. Aesch. Pers. 631.

13) Eurip. Bacch. 278. saepe. Herod. IV, 79.

tur,[1]) et, quae eodem pertinent, Parcae et Furiae δαίμονες sunt;[2]) postremo monstrum illud diis hominibusque invisum, Typhon, cui θεοῦ quoque nomen non denegatur,[3]) χθόνιος δαίμων dicitur.[4])

Praeter deos omnes etiam res, in quibus vis quaedam fatalis inesse videtur, in iisque maxime animi humani affectiones, quae plurimum ad vitae sortem aut felicem aut miseram efficiendam valent, δαίμονος nomine afficiuntur. Itaque non solum Aeschylus mortem sic appellat,[5]) sed Simonides etiam *diem crastinum* (τὴν Αὔριον), quoniam quid hominibus allaturus sit, ignoratur, δαίμονα vocat.[6]) Aeschylo θράσος est δαίμων ἄμαχος, ἀπόλεμος, ἀνίερος;"[7]) apud Theognidem ἐλπίς, quae eidem alio loco θεὰ est,[8]) et κίνδυνος χαλεποὶ δαίμονες appellantur.[9]) Apud alios ὄκνος, apud alios alia hoc nomine gaudent.[10]) Universum autem ingenium humanum hominum δαίμονα ab Heraclito dici, iam supra indicavimus.

VII.

Jam vero si, quae hucusque fusius explicata sunt, mente retractamus et ad eorum indagandum fontem totos nos ad Graecorum animos applicare studemus, facile nobis persua-

---

1) Aesch. Pers. 631.
2) Aesch. Eum. 948. 916. Choeph. 117. Soph. Oed. C. 634. saepe.
3) Aesch. Sept. 492.
4) Aesch. ibid. 503.
5) Aesch. frag. 168, 4.
6) Simonid. frag. 33 apud Bergk. l. l.
7) Aesch. Agam. 738.
8) Theogn. 1135.
9) Ibid. 655.
10) Vid. Menander. Encom. I, 2.

debimus, nulla re illos melius et apertius intimos sensus ac cogitationes, quas de numine divino in universum et de diis suis et de eorum cum hominibus coniunctione haberent, indicavisse, quam hac ipsa **δαίμονος** et appellatione et notione. Omnino enim iis erat persuasum, naturam humanam, per se indigentem ac debilem, non propria sed aliena vi sustentari ac vivere, neque bona neque mala a semet ipsis sed a numine divino repetenda esse. Hoc fatorum supremam causam et fontem esse, hoc omnium rerum fines continere volebant. Sed quodnam tandem hoc numen poterat esse, quo non aliud esset superius? Graecorum enim dii pro ea opinione, quae in omnium animis vigebat, non suapte vi ac nutu consistebant, sed a principio antiquiore ideoque potentiore et originem et naturam habebant et propterea ab illo toti pendebant. Deinde, quoniam multi erant dii, uniuscuiusque potestas ceterorum omnium potestatibus terminabatur; et quia suam quisque certam ac definitam agebat personam ad hominum similitudinem conformatam, suae ipsius naturae finibus circumscripti erant. Itaque neque singuli neque universi, quamvis eorum magnitudine et maiestate animi pleni essent, insitae cuidam mentis humanae necessitati, qua ad unius ac summi numinis quandam suspicionem duci apparet, satisfacere poterant; sed excitabatur semper in mentibus obscura quaedam cogitatio infiniti cuiusdam numinis, quod a singulorum deorum finibus solutum eorumque numina quasi amplexum in constituendis ac moderandis rebus suprema et incomprehensa ratione versaretur. Atque hoc infinitum numen a munere praestantissimo **δαίμων** appellabatur. Huius igitur voluntate ac designatione singulorum etiam hominum fata ac sortes continebantur: quo quisque loco natus esset, quibus corporis et animi facultatibus uteretur, quali esset ingenio, quibus studiis, quantae ei divitiae earumque tum accessiones tum amissiones contingerent, quae ei adeunda essent pericula, qui sustinendi labores, universam

denique vitae fortunam ac conditionem *δαίμονος* vi et auctoritate constitutam esse putabant.

Neque tamen hic, quemadmodum singuli Graecorum dii, ad dilucidam certae personae speciem conformatus erat, in qua more humano clara omnia ac perspicua essent; neque etiam, tamquam universa quaedam lex naturalis in ipsis rebus insita, propria sua vi et natura omnino carebat, a qua numinis divini interpretatione, quippe omnium maxime rationi humanae contraria, sanum ac sapiens Graecorum iudicium ante philosophorum tempora omnino aberat; sed infinitum quoddam numen erat, notione obscura conceptum, in quo magis divini imperii incomprehensa necessitas quam perspicua sapientia agnoscebatur. Quam sententiam praeclare expressit Aristoteles, quum naturam propter miram eius et arcanam fabricationem, non sapienti deliberatione, quae certos fines sequitur, sed insita quadam necessitate directam *δαιμονίαν*, non *θείαν* esse diceret.[1])

Itaque *δαίμονος* notio, etsi omnium deorum numina complectebatur, tamen non usque ad vim liberae mentis, quae sapienti ratione ac consilio omnium rerum fines constitueret, exculta erat. Quam ob rem homines, quum in eo certas rationes ac causas, quibus instituta et facta eius possent explicari, non invenirent, quia mens hamana nihil omnino intelligit, nisi quod ad mentis rationem et legem referri potest, ab eius cogitatione plerumque relabebantur ad notas singulorum deorum personas, et horum voluntatibus et legibus et muneribus illius vim definiebant. Velut in Aeschyli Agamemnone, postquam Clytaemnestra perfidam mariti caedem ad Tantalidarum *δαίμονα* retulit auctorem, chorus, infinitam hanc vim quasi interpretans, Jovem *παναίτιον, πανεργέτην,* sine quo nihil hominibus accideret, facinoris

---

1) Aristot. de Divin. in somn. c. 2. cf. Part. an. I, 5.

effectorem appellavit,[1]) et Clytaemnestra ipsa alio loco Parcam,[2]) Aegisthus deorum iustitiam et Furias[3]) causam fuisse dixerunt. Simili ratione mutuam Eteoclis et Polynicis caedem, quam chorus δαίμονος vi effectam esse sentiebat, Antigone et Jsmene a Parca infesta et atra Furia repetierunt;[4]) et Oedipus impietatis vindictam, quam δαίμονα a Polynice filio repetiturum sperabat, ad Jovis iustitiam revocavit.[5]) Res sane memoratu dignissima, quia aperte ostendit, rationem humanam ad explicanda rerum principia et causas in infinita aliqua natura acquiescere non posse, sed postulari ab ea — ergoque etiam esse — vim mente ac ratione praeditam, cuius sapienti consilio ac voluntate tam rerum omnium quam ipsius infinitae illius naturae constitutio et comparatio contineatur.

Itaque δαίμων, quamvis universi numinis infinitam potestatem cohiberet, tamen, quia haec potestas mentis lumine non collustrata et quasi distincta erat, ideoque in se erat abscondita et obscura, a singulorum deorum personis et mentibus quasi lucem et explanationem et agendi rationes ac fines accipiebat. Quare, quum potestatis infinitate singulis diis, quippe qui finita tantum potestate uterentur, re vera esset superior, eosque tamquam partes infra se haberet, simul iisdem, quia eorum mentibus ac rationibus infinita ipsius natura definiebatur et regebatur, inferior erat ac sub eorum voluntates ac consilia subiectus. Quo fiebat, ut ne δαίμων quidem universam naturae divinae vim continere videretur neque unquam ad dei summi, quippe a quo libera mentis vis abesse non posset, dignitatem ac significationem perveniret.

---

1) Aesch. Agam. 1444 coll. 1453 et 1530.
2) Aesch. Coeph. 898. cf. Agam. 1502.
3) Aesch. Agam. 1546 sq.
4) Aesch. Sept. 930 coll. 954 et 970.
5) Soph. Oed. C. 1370 coll. 1381.

Haec enim magis cernebatur in Jove, cuius ratio omnium rerum summa lex esse putabatur; qui, terminis istis ac finibus, quibus a theogoniarum et cosmogoniarum conditoribus saeptus erat, neglectis, re vera summus et perfectus erat deus.

Jam igitur, quoniam universa δαίμονος potestas singulorum deorum mentibus ac rationibus ad certos fines dirigi videbatur, primum hi ipsi, illius munera in se quasi recipientes eaque exsequentes, δαίμονες erant et Jupiter δαίμων μέγιστος καὶ πανδαμάτωρ. Quum vero ex alia ratione, de qua deinde agetur, δαίμονος vis ac potestas inter plures naturas divinas a diis diversas distributa esset, qui ipsi etiam δαίμονες appellabantur, hi sub deorum imperium subiecti et eorum voluntatis ministri ac perfectores erant. Atque ita iam res eo redierat, unde erat exorsa. Namque quum primo initio δαίμων summi dei fuisset cognomen, et universae eius potestatis unam aliquam partem expressisset voluntate eius ac consilio directam; tunc iterum δαίμονες, a diis quidem seiuncti et diversi, at sub voluntatem eorum subiecti, eorum iussa ac mandata perficiebant. — Atque de hoc daemonum genere in altera nostrae disputationis parte agemus.

THESES.

---

1) Tantum scimus, quantum sumus.
2) Summum philosophiae principium necessario in mentis humanae natura positum est
3) Nihil credit philosophia, philosophus multa.
4) Libertas et necessitas toto genere diversa sunt.
5) Non is, qui contemnit res humanas, sed qui recte de iis iudicat, sapiens habendus est.
6) Artium veritas veritate rerum non satis definitur.
7) Aristoteles religionis vim ac naturam non recte videtur intellexisse.
8) In Aristot. Metaph. XII, 7. (p. 1072, b, 2. ed. Bekk.) recte se habet: *„ἔστι γάρ τινι τὸ οὗ ἕνεκα, ὧν τὸ μὲν ἔστι, τὸ δ' οὐκ ἔστιν.“*
9) Ibid. (p. 1072, a, 24. ed. Bekk.) legendum est: *„ἐπεὶ δὲ τὸ κινούμενον καὶ κινοῦν μεσόν τι, καὶ ἔστι τι, ὃ οὐ κινούμενον κινεῖ.“*
10) Ibid. (p. 1072, b, 16, ed. Bekk.) in *„ἡ ἡδονὴ ἐνέργεια τούτου“ ἡ ἡδονὴ* praedicatum est.
11) Ibid. VII, 4. (Z, p. 1029, b, 13. ed. Bekk.) recte legitur: *„ἔστι τὸ τί ἦν εἶναι ἕκαστον ὃ λέγεται καθ' αὑτό.“*
12) Apud Platonem in Philebo p. 66 A—C bonorum gradus ita constituendi sunt:
    1. A. *Summa boni idea*, ab omni concretione mortali segregata, per se consistens.
    2. B. *Summum bonum humanum*, ad ideae similitudinem expressum (*τὸ γένος μεμιγμένον*), quod efficitur:

3. a. *mente ac ratione humana*, quae boni ideam intuens, eam in vita humana imitari studet (τὸ αἴτιον);

4. b. *scientiis et artibus*, quae veritatem et modum et pulchritudinem in rebus indagantes, ea ad vitam humanam informandam adhibent (τὸ πέρας);

5. c. *voluptatibus puris*, quae, ut a scientiis et artibus proficiscuntur, ita ab iis definiuntur (τὸ ἄπειρον).

13. Platonis deus non idea est, sed idearum pater.

14. Plato materiam per se consistentem non agnoscit.

15. Falsum est Ciceronis (Off. I, 22.) de victoria Salaminia iudicium.

16) Apud Pindarum Pyth. VII, 6. cum libris scribendum est: „ναίων ὀνυμάζομαι."

17) Aeschylus Iûs errores ita descripsit, ut nunquam retro acta per orientem in Aegyptum perveniret.

18) In Hesiodi Theogonia versus 743—745 a Goettlingio sine causa habentur spurii.

Ibid. versus 731. post versum 733. transponendus est.